

cio (5), Chemnicensi Miseno, Viro Clarissimo,

quidem videtur, sub initia Seculi XV. coalescere in cominune aliquod foedus coepit Equestris Imperii Ordo, *Gesellschaft Sant Jörgen Panners*, de qua pluribus videndus est *Jo. Phil. Datt L. II. c. 3. de Pace Imperii Publica p. 232. seqq.* & *D. Jo. Henr. Hedinger* in *Diss. de Suevorum Nobilium foedere sive societate St. Georgens Schilds*. Neque instituti mei permittit ratio, ut in enarrando *Thalero isto Mansfeldiaco* superstizioso, ubi S. Georgius ceu Eques Cataphractus cum Lancea Draconem confodiens visitur, inultus sim, evolue tamen de illo *Observationes Hallenses Germ. P. II. Obs. VI. p. 120. sqq.* Id tantum addo, inter quatuordecim Opitulatores, quibus Romanae Ecclesiae Aseclae adorationis cultum impertiunt, & *S. Georgium* inveniri; *Goetzius* in *Diss. de quatuordecim Opitulatores p. 11.* Caeterum *Georgios* fama & eruditione *Claros* peculiari Schediasmate *Histor. Literar.* recensuit *M. Joachimus Mantzelius*, quod prodiit *Gustroviae 1712, 4.*

(5) Errorem itaque errant *Bucholzerus* in *Indice Chronolog. p. 521.* *Melch. Adamus* in *Vitis Philosophorum p. m. 117.* & secutus hos *Claramundus* in *Vitis Clariss. Viror. P. III. p. 157.* quod diem *Fabricii* natalem, vigesimum quartum Aprilis nominant; Nam in illum *Georgii* memoria non congruit, bene tamen in antecedentem vigesimum tertium, cui *Paulus* etiam *Eberus*, in *Calendario*